Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

# Selectae E Profanis Scriptoribvs Historiae

Heuzet, Jean

Lipsiae, MDCCLVIIII.

VD18 12897531

Capvt XI.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17417

Visual Library

Gallis miraculo audaciae, seu religione etiam motis, cuius haudquaquam negligens gens est.

2. Quum Camillus pergeret ad delendam vrbem Veios, decimam partem praedae vouerat Apollini. Vrbe capta ac direpta, vt sine mora voti liberaretur, senatus misit nunc tres legatos, qui ferrent Delphos crateram auream, donum Apollini. Hi haud procul freto Siculo, a piratis Liparensium excepti, deuecti sunt Liparas. Mos erat ciuitatis, velut publico latrocinio, partam praedam diuidere. Forte eo anno in summo magistratu erat Timasitheus quidam, Romanis vir similior, quam suis: qui legatorum nomen, donumque, et deum, cui mitteretur, et doni caussam veritus ipse, multitudinem quoque, quae semper ferme regenti est similis, religionis iustae impleuit: adductosque in publicum hospitium legatos, cum praesidio etiam nauium Delphos prosecutus, Romam inde sospites restituit. Hospitium cum eo senatusconsulto est factum: donaque publice data. *Liuius l. 5. c. 21 & 28*

## CAPVT. XI

### *Publica religio priuatis affectibus praelata.*

1. Quum Galli ad Romam ferro et igne vastandam accelerare dicerentur, et nulla spes esset, vrbem posse defendi; multi Romanorum per agros dilapsi sunt, multi vrbes *Liu. l. 5 c. 40*

Landesbibliothek Oldenburg

bes petierunt finitimas, apportantes quaecumque habebant pretiosissima.

Interim virgines Vestales, omissa rerum suarum cura, quae sacrorum secum ferenda, quae (quia vires ad omnia ferenda deerant) relinquenda essent consultantes, quisue ea locus fideli asseruaturus custodia esset; optimum ducunt, condita in doliolis sacello proximo aedibus flaminis Quirinalis, vbi nunc despui religio est, defodere; cetera inter se onere partito ferunt, via, quae sublicio ponte ducit ad Ianiculum. In eo cliuo eas quum L. Albinius, de plebe Romana homo, conspexisset, plaustro coniugem ac liberos vehens inter ceteram turbam, quae inutilis bello vrbe excedebat: saluo etiam tum discrimine diuinarum humanarumque rerum: irreligiosum ratus sacerdotes publicos, sacraque populi Romani pedibus ire, ferrique; se ac suos in vehiculo conspici; descendere vxorem ac pueros iussit, virgines sacraque in plaustrum imposuit: et Caere, quo iter sacerdotibus erat, peruexit. Adeo tunc quoque in vltimis religio publica priuatis affectibus antecellebat.

*Florus l. 1. c. 13*

## Capvt XII

### *Impii serius ocius dant pœnas.*

1. Dionysius, quum fanum Proserpinae Locris expilauisset, nauigabat Syracusas: isque quum secundissimo vento cursum teneret, ridens: *videtisne*, inquit, *amici*, *quam*

*Cic. 3 de nat. c. 34*